CONCIO

Ad CLERUM habita in templo beatae Mariae

CANTABRIGIAE

VII. ID. JULII MDCCXXIV.

Pro gradu DOCTORATUS in ſacra Theologia.

auctore

SAMUELE DRAKE

S. T. P.

Collegii DIVI JOHANNIS Evangeliſtae

SOCIO.

Παῦλος —— ἀπὸ τῆς ἐπιγραφῆς τῦ βωμῦ τὸν βωμὸν καθεῖλε.

CHRYSOST.

CANTABRIGIAE

TYPIS ACADEMICIS

Impenſis GULIELMI THURLBOURNE Bibliop: Cantabr.

Proſtant vaenales apud GUL. & IOH. INNYS LONDINI.

MDCCXXIV.

G.R. III.
BRITISH MUSEUM

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO PATRE

AC

DOMINO DOMINO

WHITE

DE

BURGO

SANCTI PETRI

EPISCOPO

IN lucem prodiens hominumque conſpectum noſter hic, de ara Ignoto Deo ſacra Pauloque Athenis praecone, commentarius veſtro, VENERANDE ANTISTES, *& judicio muniri petit & exornari patrocinio: Alterum dabit ſingularis mihi humanitas tua, alterum modo eruditio con-*

conceſſerit ſumma. Qui accuratam Apoſtoli effigiem quaerit, non mihi Paulum praedicanti, agenti tibi Paulum, accedat : Non, quod inſtituo elogium ego, quod tu exemplar praeſtas, conſulat.

ALIOS *plane,* PRAESUL AMPLISSIME, *ac majorum vigiliarum labores cum diu res a me literarum publica expectaverit, noluiſſem hujus interventu opellae, eandem niſi officii ratio poſtulaſſet, in ulteriores moras premi eos diſtinerique. Caeterum, liberandae ego demum fidei graviſſimaeque hiſtoriae editioni, quam non elanguidus, non ſupinus, non otio diffluens, ſed multiplici rerum diſtrictus occupatione impedituſque, intermiſi, abſolvendae incumbo : Viro de Eccleſia, de Patria, de Academia, optime merito* MATTHAEO *uni* PARKERO *jam inſervio. Impenſas omnes ei curas felices, me multo feliciſſimum, praedicaturus ; Si a Lametha olim profectum, Lamethae nuper emendatum, magni* CANTUARIENSIS *illuſtre opus ad* CANTUARIENSIUM *longe maximum, duce Te meo, deferatur.*

VERUM *chartis adeo invigilantem, adeo libris inſeneſcentem, Praeſulem morari ac inepti eſt profecto ac in publica peccantis commoda. Unum ego rei Chriſtianae apponam, unum e literarum ſede literariae, votum : Quam ſane omnem, omni ope, omni conſilio, utrique promovendae vitam inſumpſeris, eam Deus & Tibi incolumem conſervet & orbi velit erudito diuturnam.*

Sum PATERNITATIS veſtrae

obſervantiſſimus

E Collegio Divi Johannis
Cantabrigiae 14. Cal. *Dec.* 1724.

SAMUEL DRAKE.

S. Gribelin

Act. Apoſt. Cap. 17. *Com.* 22, 23. *ſic ſcriptum legimus.*

Σταθεὶς δέ ὁ Παῦλος ἐν μέσῳ τῦ Ἀρείυ πάγυ, ἔφη: Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ.

Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ. ——

VULGATUS INTERPRES.

Stans autem Paulus in medio Areopagi ait : Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video.

Praeteriens enim & contemplans ſacra veſtra, inveni et Aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo. ——

FLORENTISSIMAE literis civitati, circumfuſae Philoſophorum frequentiae, rem novam planeque miram, *Evangelium* annunciantis haec ſunt atque enarrantis Pauli. Si cui unquam dicenti digna conſeſſu, digna argumento, contigerit oratio ; talis equi-

dem Apoſtolo Gentium, auctore Deo, mediis Athenis conceditur: Docet, ſuadet, monet, carpit; quicquid aut pertinacem conciliare, aut dubium vacillantemque poſſit ſiſtere, id ſedulo & accurate praeſtat.

Attonito Ananiae, * *Vade*, inquit de Paulo Dominus; *quoniam vas electionis eſt mihi ISTE ad portandum nomen meum in conſpectu Gentium & Regum & Filiorum Iſrael.* Quam ille demandato muneri ſatisfecerit, quamque praeſcriptas Apoſtolatus ſui partes ſuſtinuerit, varia tradit totum hoc caput & luculenta teſtimonia. Theſſalonicae *per* † *Sabbata tria de ſcripturis* diſſerit; magno futuro Evangelii incremento, niſi praefractior Judaeorum animus laetum invidiſſet Gentilibus fauſtumque nuncium. ‡ Beroeam Theſſalonica ſecedit, diſcipulos quaerens, quos et invenit, paratiores: Ibi etiam eum inſecuta eſt, Pauli fere individua comes, Judaeorum mala & inſana mens. Neque vero his periculis, quae libenter adiit, multis ac magnis reſtinctum animi ardorem legimus; mox enim ** Athenas perrecturus in celeberrimam Scientiarum ſedem deducit tandem Evangelium, Stoicis, Epicureis, ſtupente Areopago, annunciandum.

Quam Paulus narrando Chriſto facundiam adjunxerit; utinam Ego, Viri Gravissimi, parem Paulo explicando afferrem: Hoc plane hujuſce loci ratio poſtulat; ubi Auditorum ordines cerno, qui artes diſciplinaſque & plures tenent & praeſtantiores colunt, quam olim unquam Athenienſes; tantùm illis eruditionis laude ſuperiores, quantùm minores oratore.

Exordium orationis ſuae Apoſtolus e re obvia ducit & expoſita: Ara in trivio conſtituta — Inde vero recondita multa atque inaudita profert; titulus enim inſculptus, Ignoto Deo, Athenis primo *noſcendum* aperuit; caecaeque nocti ſacer lapis lucem civitati diemque invexit: *Viri*, inquit, *Athenienſes*,

* Act. 9. Com. 15. † C. 17. Com. 2. ‡ Com. 10, 11. ** Com. 15.

per

per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video : Praeteriens enim & videns ſimulacra veſtra inveni et Aram, in qua ſcriptum erat, IGNOTO DEO. Quibus de verbis jam dicturi, quae ſunt a nobis proferenda, hunc in modum inſtruemus :

PRIMO, Ipſius Arae, unde tam appoſite Athenienſes tamque feliciter Apoſtolus inſtituebat, hiſtoriam paulo altius repetamus.

SECUNDO, Quam veras Apoſtoli vices Athenis Paulus ſuſtinuerit, oſtendamus.

TERTIO, propoſitionem liceat his ſubjicere monitoriam : Quae *olim* Apoſtolus Athenis egit, iſta Nos *hodie* ut eadem agamus, & plurimum ſuadent & vehementer vocant.

PRIMO itaque : Ipſius arae, unde tam appoſite Athenienſes Apoſtolus tamque feliciter inſtituebat, hiſtoriam paulo altius repetamus.

TRADIT * Hieronymus immutatum ab Apoſtolo Arae titulum ; Sic enim, eo auctore, ſe habebat : *Diis Aſiae & Europae & Africae : Diis ignotis & peregrinis.* Verum reciſa parte mutatoque numero non *Diis*, ſed *Deo* ignoto, ut aſſerendae in unicum Deum fidei eſſet accommodatior, uſurpaſſe Apoſtolum contendit. Nimium profecto ſibi hic indulſit Scripturarum illuſtris enarrator ; cum has immutatae periodi rationes & primus & ſolus protulerit.

HANC vero Hieronymi conjecturam evertunt plane ex ipſis Ethnicis auctoribus petita teſtimonia : Solennem fuiſſe docent receptamque ſacra inſcribendi formam Ἀγνώστῳ Θεῷ, ipſis, ubi Paulus jam agebat, Athenis. Hujus rei teſtis locupletiſſimus hominum riſor contemptorque Divum, Lucianus : in dialogo, qui, *Philopatris*, inſcribitur, quae modo dixerat, hujusmodi jura-

* Comment. in Epiſt. ad Titum. cap. 1.

mento ſancit: Νὴ τὸν Ἄγνωστον ὃν Ἀθήναις — Luculentius adhuc, decurſo fere dialogo, eidem *Ignoto* Athenienſium *Deo* gratias referri plurimas jubet: Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις Ἄγνωστον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες —— τούτῳ δὴ χαριεῖσόμεν.

PROPIUS fortaſſe ad primariam Arae inſcriptionem accedit ea, quae ab * *Oecumenio* memoratur: Ἐπὶ δὲ ἡ πᾶσα τῷ Βωμῷ ἐπιγραφὴ τοιαύτη: ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ, ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ, ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ: ΘΕΩ ΑΓΝΩΣΤΩ ΚΑΙ ΞΕΝΩ. Magis ſcilicet haec conveniunt cum altera illa, quam ex Actis Apoſtolorum jam praelegimus: Bene enim Paulus ac in rem ſuam ſatis appoſite, neglecta ſuperiore tituli clauſula, ab extrema potuit inſtituere orationem: minime vero ex Hieronymi ſententia rem omnium oculis ſubjectam notiſſimamque, aut vitiatam exhibere, aut imminutam.

FATENDUM tamen eſt, plures fuiſſe olim Deos, quorum opem auxiliumque, anonymis aris, invocabant. Hoc ex † Pauſania atque ‡ Philoſtrato conſtat; Quorum hic Ἐν Ἀθήναις, inquit, ΑΓΝΩΣΤΩΝ ΘΕΩΝ Βωμοὶ ἵδρυνται: Ille Elide poſitam ΑΓΝΩΣΤΩΝ ΘΕΩΝ aram diſertis verbis teſtatur. Sane utroque modo tam Θεοῖς Ἀγνώστοις, quam Θεῷ —— vota Athenienſes preceſque perſolviſſe ſuas tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Hanc autem, de qua ſpeciatim egit Apoſtolus, inſcriptionem ſingulari fuiſſe numero prolatam confirmat ipſius Pauli fides indubia; non ſequioris aetatis teſtimonio, non Hieronymi conjecturae, poſthabenda.

DESTINATAE tam incerto latentique numini Arae rationes atque originem ſi quaeramus, has ſtatuunt ſcriptores § Graeci. Perſae cum in Graeciam moverent exercitum, ad Lacedaemonios quendam mittunt Athenienſes de ineundo foedere Philippidem; feſtinanti legato occurrit PANIS Dei quaſi ſpectrum

* In Act. 17. v. 23. † Eliac. prior. c. 14. ‡ In vit. Apollon. Tyan. Lib. vi. C. 3. Vid. etiam Suid. in voce Τιμοσθένης. § Oecumenius, Chryſoſtomus, omnes.

quod

quoddam ac imago ——— Athenis inhonorum ſe parvique habitum conqueritur; aras ſuas frigere inanes; caeteras incendi omnes, onerari: Honores modo pares Athenae ſibi etiam ſtatuerent, laeta omnia ac ſecunda futuro bello pollicetur. Promiſſum res exitum ſortitur; partaque victoria Athenienſes templa, aras, ſimulacra PANI inſtruunt; Caventes autem, ne quid porro mali, praetermiſſo aliquo aut inſalutato numine, capiat reſpublica, novam inſuper novo titulo, Ἀγνώστῳ Θεῷ, aram decernunt.

ALII alias hujuſce Arae cauſas initiumque literis mandarunt: Athenas peſtem invaſiſſe ferunt acerbam & gravem; nulla unquam miſerrimae urbi ſaevior incubuit. Tantis moleſtiis conſtituti incolae, veniam * coeleſtium irarum expoſcere, conſuetos exorare obteſtarique *Deos*, coeperunt – Fruſtra – Non *illis* imperium morbi; incaleſcit aeſtuans lues nec prece nec voto reſtinguenda. Deum, qui tanto huic aut remedium afferre aut levamen malo poterat, inveniunt neminem; Eſſe demum abditum quendam, occultum, *quiſquis* ſit *ille Deorum*, qui ſedando coercendoque morbo praeeſt, ſero ſentiunt: Hunc unicum dolorum perfugium ſtatuunt: Hunc ſolum ſuſpiciendum celebrandumque: Hunc, quo ſe vertant neſcii, caecis votis proſequuntur; incertum vagumque numen Ἀγνώστῳ Θεῷ inciſa ara placaturi.

DUPLICEM hanc Arae hiſtoriam ſi animo perpendamus; altera magis ad ſpeciem fabulae, altera ad veri ſimilitudinem propius accedere videtur. Huic autem poſteriori de peſte narrationi fidem adſtruunt, quae apud Laertium de Epimenide [a] leguntur: Hujus conſilio monitos tradit Athenienſes, cum patrios Deos fruſtra ad depellendam peſtem fatigarint, ſacra ut facerent aramque conſtruerent, τῷ προσήκοντι Θεῷ – non, ut male Laertii [b] interpres, pejus interpretis [c] emendator, *loci ejus*

* *Tanta adeo, cum res trepidae, reverentia Divûm*
Naſcitur: At rarae fumant felicibus arae. Sil. Ital.
Adverſae deinde res admonuerunt religionum. Liv.

a *In vit.* Epimenidis *Segm.* 110. b Ambroſius Calmaldulenſis. c Marcus Meibomius.

ejus

proximo Deo; verum Deo ——— *convenienti* ——— Deo, *ad quem res ista pertinebat*; ei, quisquis tandem is fuerit, qui immissam luem propulsaret.

NEQUE vero peste tantum correpti, sed magna alia aliqua illata clade attoniti, ab *ignotis* ac *sine nomine* Diis opem quaerebant olim Ethnici, teste atque auctore veterum consuetudinum peritissimo, Aulo Gellio.[a] *Veteres*, inquit, *Romani, in constituendis religionibus castissimi cautissimique, ubi terram movisse senserant, ferias ejus rei causa edicto imperabant*; *sed Dei nomen, ita uti solet —— statuere & edicere quiescebant —— Quoniam & qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum esset.* Idem etiam ex Livio constat: *Et cum Dii quoque* NOVI *ad opem ferendam dubiis rebus arcesserentur. Lib.* 34. *c.* 5.

ROMAE attamen sacram *ignoto Deo* Aram nusquam extitisse legimus*, solis Athenis conspiciendam: Erat siquidem urbs ista

a Lib. 2. c. 28.

* Romae aras *ignotis numinibus* extructas unus memorat *Minucius Felix.* C. 6. Uti apud *Varronem*, teste *Augustino* in *Civitate Dei.* L. 7. c. 17. *Dii incerti.* Item apud *Berthaldum* de Ara. C. x. *Dii Ambigui.* Quibus olim positam Aram prolata idem inscriptione confirmat:

D.
AMBIG.
D. D.

Haec autem numero omnia *plurali*, non, ut illa Athenienſium, *singulari.* Cui quidem proxime accedit ista, quam in sua ad Burdegalenses Epistola memoravit S. *Martialis*: *Nam, dum altaria Daemonum in pulverem redigerentur, aram* IGNOTI DEI *ad consecrationem reservari jussimus. Bib. Patrum.* Tom. 3. P. 3. *Binn.* Has vero Martiali, primi, vel saltem tertii saeculi viro adscriptas epistolas suppositicias esse omnino, nec nisi decurrente saeculo nono mala arte confictas, Historicorum omnium est judicio constitutum. *Dupin. Tillemont. Cav.* Martialis hisce literis si quae fides esset adhibenda; mire illustrarent, quae apud Strabonem de *innominato* quodam Celtiberorum *Deo* legimus: τοὺς δὲ Κελτίβηρας ἐκ τοὺς προσβόρρους τῶν ὁμόρων αὐτοῖς ἀνωνύμῳ τινὶ Θεῷ —— παροικεῖ τε χορίσειν καὶ ποιμνυχίζειν. Lib. 3. Quae enim Celtarum olim sacra rituſque fuerint, in Celtiberiam fuisse eos, migrantibus populis, deductos res est plane verisimillima. Extat locus alter *Alexandri ab Alexandro* de ara *Ignoto Deo* apud Arabes posito: *Mactant —— Arabes*, inquit ille, *pingues camelos in ara Ignoti Dei. Genial. Dier. Lib.* 3. c. 12. Quibus vero testimoniis fretus haec literis mandaverit, nondum liquet. Certe *Tiraquellus*, qui *Alexandro* auctores suos mira industria singulos appositi, quam caeteris diligentiam praestitit, huic uni loco intacto illibatoque denegavit. Quae autem supra apud *Alexandrum* de Aegyptiis traduntur, ea in Diodoro Siculo

iſta animo in colendos Deos [a] cumulandaſque aras omnium longe propenſiſſimo; caeteraſque quantùm literarum laude, tantùm religionis ſtudio ſuperabat. Λαχώνας, τὺς ἀνδρειοτάτους, inquit Joſephus, Ἀθηναίους, τὺς εὐσεβεςάτους τῶν Ἑλλήνων ἅπαντες λέγουσιν[b]. Hi mores Athenarum, hoc ingenium, Diis, delubris, aris, urbem indies augebant; non tantum patriis, ſed & extraneis [c]; ad quarum omnium cumulum accedit & haec, quae ab apoſtolo memoratur, miro plane ac ſingulari voto tituloque praeſignata.

EXISTIMARUNT nonnulli, quod nec ratione eſt alienum, Athenienſes verum, unicum, *Judaeorum Deum*, in auxilium opemque ſuam laboranti urbi, dubia hac ara, advocaſſe: Patrios enim cum vel immites, vel plane imbecillos, magno ſuo malo Deos ſenſerint; quidni ad alium confugiant, quem multa praeſtitiſſe ac praeclara conſervando populo ſuo ſatis didicerant? Quae enim a Platone, Pythagora multiſque aliis in fabulas ſuas e Scripturis traducuntur, perlectos fuiſſe ab

Siculo occurrunt: Qui quamvis de Arabia ſingularem inſtituerit commentarium, ubi etiam de Diis Arabum deque Camelis ſaepius diſſerit, hac de re prorſus ſilet: uti etiam *Abul Faragius, Hottingerus, Dherbelotius, Montfalconius.*

a *Eurip.* Heraclid. *Act.* 4. *Sophocl. Oedip. Col. Et Scholia in loc. Ariſtoph.* Nub. Act. 1. Sc. 4. Et Scholia in loc. *Iſocr. Panegyr. Xenophon, Reſp. Athenien. Demoſth.* ad *Athenienſ. Lycurg.* advers. *Leocratem. Pauſanias* in *Attica*, c. 17. Id. c. 24. Id. *Phocic.* c. 28, *Philoſtrat.* de *Apollonio Tyanen.* Lib. 4. c. 19. *Nonnus Dionyſiac. Aelian.* Var. Hiſt. Lib. 4. C. 6. *Harpocration* in Voce Ἄβαρις. *Phot. Myriobibl.* Cod. ccxliii. *Liv.* Lib. 31. C. 14. *Quinctilian.* Decl. cxxiii. *Alexander Templum dedicans. Tertull:* adverſ. *Marcionem*, Lib. 1. c. 9. Scriptores hos ſi quis conſulat committatque, Athenarum conſpiciet traditam a ſumma atque depictam antiquitate imaginem, diligentiuſque religione, quam ipſis moenibus, cinctam urbem ——— His alterum poſtremo ſubjiciamus deſcriptum e *Livio* teſtimonium: Inducit hiſtoriae princeps Athenienſes vaſtationem deploraturos *populationemque miſerabilem agrorum* ——— templa a Philippo infeſtis circundata ignibus ——— *Semiuſta & truncata ſimulacra Deûm* —— *urbis quoque ſuae ſimilem deformitatem futuram* —— *eodem enim*, inquiunt, *ſcelere urbem colentem hos Deos, praeſidemque arcis Minervam petitam; Eodem Eleuſinae Cereris templum; Eodem Piraeei Jovem Minervamque. Urbem* colentem *hos Deos* —— ſic legebat Alerienſ. Epiſc. primaria *Livii* editio. 1470. Eodem modo Campanus, Sigonius aliique ad *Jac. Gronovium* 1664. univerſi: ubi fidetus *M. S.* codice Oxonienſi —— *urbem* colentes *Deos*, diſpuncta vocula *hos*, exhibuit. Quod quidem Nobis ſi liceret, mire antiqua receptaque lectio conveniret cum praeciſſis auctoribus, cum Luca in Actis, cum Athenienſium legatis de ſe civitateque ſua rorantibus —— *urbem colentem Deos* ——— Lib. 31. C. 30.

b Lib. 2. contra Appion.

c *Strabo* Lib. x. P. 722. Edit. *Amſtael*, 1707. *Heſych.* in Voce Θεοί.

ipſis

ipsis philosophis sacros codices abunde testantur: Id disertissime prodidit ‡ Justinus. Ibi cum divinae naturae rationem viresque nec cogitatione complectendas, nec quidem nomen ore efferendum, intelligerent; * *ignotum incertumque* appellabant Deum. ** Inde Lucanus:

——— *Dedita sacris*
INCERTI *Judaea Dei.* ———,

SIC Trebellius Pollio de praefinito, in capite sexto Geneseos, † humanae vitae termino agens scribit, tulisse Mosen hac de re ab INCERTO *Numine* responsum.[a]

HAEC autem de Ara Athenienſi *verum Deum summumque* tam caecis titulis adumbrante sive opinio, sive conjectura, uti nec rationi ullo modo adversetur; ita nec de ea admodum laboro, aliorum judicio permittenda. Nihil profecto vetat, quin Athenienſibus idem sit *Ignotus*, qui Lucano, qui Trebellio, *incertus*, Deus. Hoc porro ex primaevis ecclesiae monumentis constat, ipsos Ethnicos, cum Dii spes suas patrii fefellerint, extremum quaesiviſse a *vero atque unico* solamen suum; cum autem semel fuerint, quod optaverant, assecuti; tum demum ad Deos suos, quos deplorata republica contempserint, jam integra ac beata se recipere. Audiamus hac de re mira eloquentia differentem Lactantium: ‡ *At vero, si qua necessitas gravis presserit; Si belli terror infremuerit; Si* MORBORUM PESTIFERA VIS *incubuerit; Si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit: Si saeva tempestas, si grando, ingruerit; ad Deum confugiunt; a Deo petitur auxilium; Deus, ut subveniat, oratur. — Postquam metus de-*

‡ Ταῦτα τοίνυν ἐν Αἰγύπτῳ μαθὼν ὁ Πλάτων, καὶ σφόδρα ἀρεσθεὶς τοῖς ὑπὲρ ἑνὸς θεοῦ εἰρημένοις. *Paraen.* ad Graec. Vid. etiam Diod. Sicul. Lib. 1. It. Tertull. Apol. c. 47.

* Πάγκρυφον, *Justin. Martyr.* Paraen. ad Graec —— κεκρυμμένον —— *Plutarch* de *Isid.* & *Osir.* —— τὸν ἀκατονόμαστον —— *Phil.* de legat: ad Cai. — Ἄῤῥητον —— *Dion Cassius.* Apud Aegyptios *Ammon*, seu *Amun*, teste Plutarcho, *occultum* significat. Hinc forsan, vicinus Aegypto, interpres Syrus reddidit hic Ἀγνώστῳ Θεῷ —— *Deo recondito. Judaei sola mente unumque numen intelligunt*: Tacit. *Lib.* v.

Nil praeter nubes & caeli numen adorant. Juv. Satyr. 14.

** Lib. 2. † *Augusti* Hist. Scriptor. in vita *Claudiani.* a Dixitque DEUS —— Erunt dies illius centum viginti annorum. Com. 3.

‡ De origine Erroris. §. 1.

Hujus

ſeruit & pericula receſſerunt ; tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt : His litant ; his ſacrificant ; hos coronant. Hujus rei egregium praeſtant et ipſae Scripturae deſumptum ex hiſtoria *Jonae* documentum : Cum enim intumeſcente mari multa prece *patrios* fruſtra imploraſſent nautae *Deos* ; accurrunt *Jonae* univerſi inſtantque miſeri —— *ſuum* ut Ipſe deprecetur : *Invoca*, inquiunt, DEUM TUUM ; *ſi forte recogitet de nobis**. Qui Jonae *ſuus*, idem nautis *Ignotus*, Deus. Ita Gentilium mentes inſana pervaſerat ſuperſtitio ; *verum* ut Deum, niſi iratum, niſi coelo tonantem, non agnoſcerent ; errorem tranquilli, attoniti rationem, ſequentes.

HAEC de Arae titulo, origine, loco, atque etiam inſtituto diſſerui : Quae cum & projectiſſimae fuerit ſuperſtitionis monumentum, & egregiae orationis materiam Apoſtolo ortumque praeſtiterit, uberiori viſa eſt mihi fuſiorique commentario proſequenda.

SECUNDO itaque : Quam veras Apoſtoli vices Athenis Paulus ſuſtinuerit, oſtendamus.

HAEC Pauli, nata ex Ara Athenienſi, oratio quanquam res & multas & excelſas omnemque fere Chriſtianam diſciplinam ſit complexa ; Nos tamen ne ſingulas perſequamur, tam inſtituti noſtri, quam etiam temporis, ratio hortatur : Praeſertim cum ampla ſatis & illuſtria dicendi argumenta praemiſſi Textus verſiculi obtulerint ; Apoſtoli in inſtituendis Athenienſibus ſi *ſtudium*, ſi *judicium*, ſi *lenitatem*, contemplemur.

PRIMO, ſi *ſtudium* Pauli ſpectemus : Noluit plane concreditum ſibi Evangelium pagis viciſque deliteſcere ; eo non tan-

* Cap. 1. Comm. 4. 5, 6.

tum vulgus imperitum, ſed & erectioris altioriſque animi viros imbuendos cenſuit: Athenas itaque [a] τὴν καινὴν διδαχὴν — [b] ξενίζοντά τινα — traduxit — arduam ancipitemque provinciam aggreſſus: Conciliare enim poſſe ſe, aut etiam commovere, vix ſperaret Athenienſium urbis ſuae celebritate, Areopagi nomine, Academiae fama, inflatos ac tumentes animos: Multorum ibi contumacia, multorum ſuperbia, multorum odia erant ac moleſtia perferenda. Illine, a quibus et Romani publica celebrique legatione acceperant [c] leges — Illine, inquam, leges, eaſque in re longe maxima graviſſimaque, cultu divino, a barbaro impoſitas ac *Judaeo* homine ſuſtinerent? Erat certe ingenii populus omnino faſtidioſi, ac quicquid ipſis aut novum aut aliunde advectum videbatur, ſummo ludibrio excipientis: Confirmat hoc, quod pervulgato dicitur proverbio, Ἀθηνῶν μυκτὴρ; quo quicquid eorum aut linguae, aut moribus, aut inſtitutis, non plane conveniebat, *irriſerunt*.

VERUM non tantum plebs erat alienior metuenda; ſed & cum literis, cum diſciplinis, cum claris ſummiſque viris ineunda Paulo eſt contentio: Unde vix unum Athenis diem tranſegerat, cum ſtoici, Epicurei, magno impetu accurrunt, Paulumque impotentis ac moleſtae loquacitatis hominem appellant — [d] τί ἂν θέλοι, inquiunt, [e] ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; — Neque vero iniquos ſibi fore praeſtantes eruditione viros, ſed & magiſtratu etiam potentiſſimos, cognovit: Athenis enim religiones publicas edictis, legibus, animadverſione ſumma, Senatus muniebat; morſque eis vel exilium in poenas decreta, qui aut de patriis Diis male ſenſerint, aut intulerint peregrinos. Hinc [f] Socratem veneno ſublatum, Protagoram urbe at-

a Act. 17. v. 19. b v. 20. c *Liv.* Lib. 3. cap. 31, 32, 33. d Act. 17. v. 18.

e Ὁ σπερμολόγος — Vulgatus *ſeminiverbius*: Variis varii modis tranſtulere. Σπερμολόγοι, — Aves, quae ſata depaſcuntur, auctore ac judice in Ariſtophanis *Avis* Scholiaſte: Tranſfertur hinc teſte Ulpiano in Demoſth: de Corona ad eos, *qui aris impoſita auferrent*: Σπερμολόγος, inquit ille, ἀσεβής, ἀπὸ τῶν βωμῶν συλλέγων τὰ ἐπιτιθέμενα. Cui quidem voci ſic expoſitae ſingularis ineſt locoque huic mirum in modum conveniens interpretatio: Paulum enim Athenis omnes Diis Ethnicis praeſtitas religiones in unum ſuum transferentem, ac *impoſita aris* quaſi ſubducentem, — venuſte dixerint hic Philoſophi — σπερμολόγον. —

f Joſeph. contr. Appion. Lib. 2. Cic. de Nat Deor. Lib. I.

que

que agro excluſum, legimus. — Paulum vero Athenas Evangelio illuſtraturum non vulgi rabies, non Philoſophorum ſupercilia, non legum minae, non Areopagi [a] judicia, coercebant. ——Sed *ſecundo*,

Si in inſtituendis Athenienſibus *judicium* Apoſtoli ſpectemus: Eum & ſapienter delegiſſe, & provexiſſe feliciter, orationis ſuae argumentum merito dicamus; cum prius falſum ſuſtulerit, quam verum induxerit, Deum: ſicque omni Athenienſium animis excuſſa ſuperſtitione, puriori ſaniorique diſciplinae aditum parabat. *Viri*, inquit, *Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video:* Quod quidem exemplo e media ipſa urbe deſumpto teſtatiſſimoque probat: *Praeteriens enim & videns ſimulacra veſtra, inveni & Aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo.* Si notos & patrios Deos incuſaſſet; eſſet hoc profecto non tam mentes erudire, quam accendere iras, Athenienſium. Quod igitur non ſine gravi offenſione poterat improbare, id ſumma cum prudentia tranſit ſilentio; quod aliqua cum ſpe emendationis caſtigare, id totis viribus ac palam impugnat. Permulſa hoc modo aliquantulum turba, Philoſophorum mox calumniis ac mendaci [b] augurio occurrit: His Philoſophis a Chriſtiana religione alienior nemo; Epicureus aut nullum eſſe

a Erat Athenis conſilio Areopagitico permiſſa ſacrorum conſtituendorum cura; cavebatque imprimis, ne quid in religionibus novum, ne quid a majoribus non inſtitutum, in vulgus emanaret: Ἡ βουλὴ, inquit *Demoſthenes* adverſus *Neaeram*, ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ὥσπερ καὶ τἄλλα πολλῷ ἀξίως ἐπὶ τῇ πόλει περὶ ἐυσέβειαν — περὶ τῶν ἱερῶν πρόνοιαν ἐποιεῖτο. Theodorum de Diis impia literis mandantem, ex *Areopagi* judicio ſummoque vitae diſcrimine ereptum tradit Laertius. *Lib.* 2. *Segm.* 101. Καὶ μέντοι παρ' ὀλίγον ἐκινδύνευσεν εἰς Ἄρειον ἀναχθῆναι πάγον: εἰ μὴ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐρρύσατο ——— Euripidem de Diis minus recte ſentientem ſolo *Areopagi* metu, ſola formidine poenae, quae animo conceperat, occultaſſe infanda ſcribit Plutarchus: Καὶ Εὐριπίδης ὁ τραγῳδοποιὸς ἀποκαλύψασθαι μὲν οὐκ ἠθέλησε, δεδιὼς τὸν Ἄρειον πάγον. *Placit. Philoſoph.* lib. I. c. 7. His egregium adjiciamus e Juſtino Martyre deſumptum de ipſo Platone teſtimonium: Hic cum ex Aegypto Athenas redux novam de Deo opinionem, è libris Moſaicis hauſtam, attulerit, eam ibi vel profiteri, vel etiam emittere in populum veritus, ſilentio ſibi conſuluit: ὁ Πλάτων ——— τῷ μὲν ὀνόματος Μωσέως, ἀφ' οὗ τὸ ἕνα καὶ μόνον διδάσκειν Θεὸν, μνημονεύσας παρ' Ἀθηναίοις οὐκ ἀσφαλὲς ἡγεῖτο, δεδιὼς τὸν Ἄρειον πάγον, Eandem omnino ob rationem Paulus confeſſui damnandus Areopagitico ſiſtebatur; non, quod vult Chryſoſtomus, quia de *caedibus*, ſed quia de dogmatibus ibi erant rebuſque ſacris inſtituta judicia. *Homil.* 38.

b Act. 17. c. 28. *Quid ſibi vult hic ſeminiverbius dicere?*

omnino Deum, aut ab omni rerum humanarum procuratione vacuum, nihil agentem, nihil molientem, ſtatuebat: Stoicus, ſua ſe virtute involvens, ſua ſapientia gaudens, virum bonum & philoſophum ipſis parem Diis praedicabat. Quam utramque opinionem miro conſilio, rationibus perſpicuis, refellit Apoſtolus tollitque: Ita orationem inſtituens ſuam, ut & occupantem vulgi animos ſuperſtitionem deleret, & philoſophorum ſimul impietatem arrogantiamque perfringeret ——— Sed *tertio*,

Si *lenitatem* Pauli ſpectemus: Omnis haec ad eam formam figuramque dicendi comparata Apoſtoli eſt oratio, nihil ut aſpere, nihil ſit inclementer dictum: Immo tam varia tamque inſignia in ipſo ingreſſu, in hiſce textus noſtri verſiculis, non caſu confluunt, ſed conſilio commiſcentur, Paulinae lenitatis exempla; ut in civitate eloquentiae principe, in qua *omnis dicendi vis*, judice ipſo Cicerone, *& inventa eſt & perfecta*, animorum eum movendorum magiſtrum jure ſummum appellemus. Confirmat hoc imprimis a δεισιδαιμονία traducta vox: Cui quidem uni ineſt multa ſuavitate permiſta caſtigatio, ac quaſi quaedam conjuncta reprehenſioni excuſatio. Eorum hîc praeclaram eſſe fatetur ac praeconio dignam omni, intra debitos modo conſtituta eſſet atque concluſa fines, de rebus ſacris ſollicitudinem: Athenienſes non cultu *pravos*, hoc uno convitio praecluſae omnium eſſent atque obfirmatae aures, non, inquam, cultu *pravos*, ſed religione *nimios*, appellat. Cum porro Athenae fuerint in ſuperſtitionem gens effuſiſſima, ſubeſt etiam hic, auctore Eraſmo, [a] & *comparativo* indulgentia — δεισιδαιμονεστέρους θεραπ —— Ut ſingula perſequar; ex ipſa interpoſita, ὡς, particula magnum orationi & lumen accedit & lenocinium. Si ad inſequentem verſiculum tranſeamus, quantam dictis manſuetudinem aſperſerit, ſatis teſtatur efficta ab Apoſtolo vox σεβάσματα; omnia enim, quae ad religionem pertinent, templa, ſtatuas, aras, monumenta, molliori & ſono & ſenſu complectitur, quam ſi, εἰδωλα, gravem ſane atque ple-

a Comment. in loc.

nam

nam odii locutionem, usurpasset ; cum tamen hanc & proni Athenienſium cultus, & Graecae etiam linguae ratio, poſtulaverint. Quod quidem hujuſce capitis verſiculus decimus ſextus inſigni teſtimonio comprobavit ; ubi Athenas, πόλιν κατείδωλον, [a] Lucas appellat. —Aliud ſcilicet eſt *Hiſtoricum*, aliud *Apoſtolum*, agere ; aliud legentem ſcribendo erudire, aliud audientem dicendo tenere. Non niſi *lenis* eſt ac mitis, quae aut a prava homines mente deducit, aut ad rectiorem impellit, oratio ; ab omni, quod atrox, quod acerbum, quod durum, aliena.

TERTIA demum inſtat propoſitio paucis expedienda.

QUAE *olim* Apoſtolus Athenis egit, iſta Nos *hodie* ut eadem agamus, & plurimum ſuadent & vehementer vocant.

SI *ſtudium* Pauli in inſtituendis Athenienſibus praeconio dignum exiſtimemus ; Illum ſi Philoſophorum ſe opprobriis, populi furoribus, legum poenis, objicientem miremur ; hoc uno edocti exemplo atque accenſi, omnes curas noſtras cogitationeſque Evangelio, ubi nondum cognitum, proferendo, male intellectum, illuſtrando, vitiatum, reſtituendo conferamus.

SI Apoſtoli *judicium* laudemus : Eadem Nobis ineunda ratio viaque eſt. Notum ille Athenienſibus, clarum, omniumque in conſpectu poſitum, crimen impegit : Aram *Ignoto Deo* ſacram, rem pervulgatam teſtatiſſimamque, vitio vertit. Sic Nobis etiam, quoties de rebus ſacris diſceptatio inciderit, imprimis eſt cavendum ; nequid adverſariorum cauſae, niſi quod certum, niſi quod nullo modo diffiteri poterint, affingamus. Athenas incuſaturus Apoſtolus ſumma urbem diligentia cir-

a *Idololatram exiſtentem.* Vulg : *Simulacris obnoxiam.* Eraſm. Uti apud Plin : *Civitas — religionibus dedita ——— Dedita ſuperſtitionibus gens.* Tacit. *Superſtitioni gens obnoxia.* Id *Urbs fanorum referta.* Cic. de Aruſp: reſponſ — Κατείδωλον ad exemplum vocis κατάδενδρον — κατειδένδρον — κατέκαρπον — *plurimae* ubi ſunt vineae fructuſque. *Utique noſtra regio, tam praeſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire.* Petron.

cumibat ;

cumibat : ſtatuas, ſimulacra, aras, ſingula ſuperſtitionis monumenta, exquirebat. Pari nos ratione dogmata, diſciplinas, libros omnes aliter de religione ſentientium, priuſquam refutatio noſtra inſtruatur, evolvamus.

LENIS denique illa ac *remiſſior* Pauli oratio Nos monebit, ortas de fide rebuſque ſacris contentiones ſumma eſſe humanitate omnino pertractandas; benigno ſemper ac mitigato ſermone, non contumelioſo, agendas. Raro aeſtuans aut incitatior incuſatio rationi, placidam amanti atque tranquillam, aditum invenit ; omnem e contra & victoriae & fructus ſpem iracunda praeſcindit atque inimica defenſio.

PAULI autem veſtigiis ſi inſiſtamus ; ſint animo *adverſarii* elato, ſuperbis auribus ; ſint *philoſophi*, *Areopagitae* ; hoc ſaltem aſſequemur, blando ut id mollique ſermoni concedant, quod Athenienſium hic nonnulli Paulo : *Audiemus Te de hoc iterum*[a] : magnam profecto laborum, & victoriae finitimam, mercedem.

PERORANTI jam liceat, AUDITORES SPECTATISSIMI, aetati noſtrae virum gratulari, in diruendis *Ignoti Dei* aris Paulo proximum, ROBERTUM BOYLAEUM ; virum natalibus, virtute, eruditioneque celeberrimum : Qui, ut recte omnes de Deo atque honorifice ſentiamus, vivus multis egregie ſcriptis, amplo mortuus ſtipendio, praeſtitit ; Majorenè *gloria in altiſſimis Deo, an in terra hominibus beneplacito*, incertum. Jam enim per dimidium fere ſaeculum doctiſſimorum hominum ſeriem aluit ; qui annuis editis operibus, graviter, dilucide, ornate, conſcriptis, rerum hunc pulcherrimum ordinem, ſimplicitate ſua varium, varietate ſimplicem, a *Deo* fabricari ; *Dei* mente atque ratione adminiſtrari & regi ; a *Deo* vitae hominum conſuli & provideri ; In *Deo*, ut eleganter hic Apoſtolus, [a] *vivere*

a Act. 17. v. 28.

Nos

Nos omnes ac *moveri* ——— qui miſerum denique Atheum & impium eſſe & *inſipientem*, cumulatiſſime probarunt. Dignum profecto tanto viro argumentum; dignae tanto argumento lucubrationes. – Uno ut omnia verbo complectar; Non haec ſolius eſt BOYLAEI laus —— Verum, quiſquis aut *foras* Evangelii amplitudini, aut *domi* literarum incremento – quiſquis AUGUSTISSIMA hac ſcientiarum SEDE ſurgentibus in bonas artes remque Chriſtianam *aedibus* labores, curas, conſilia, opes, conferat; Is profecto quaſi Paulum agit; Is caecae ſuperſtitioni facem admovet; Is ſacras IGNOTO DEO evertit aras atque proſternit.

F I N I S.

BRITISH MUSEUM